



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quibus modis in specie vacent beneficia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

beneficium impetratum adhuc ab altero, (saltem coloratâ possessione) *c. Cum nostris 6. h. t.* quia taliter vacantia beneficia, sicuti verè non vacant, ita nec simpliciter vacantia dici possunt, ita ut rescriptum de beneficio tali conferendo, si in eo nulla fiat possessionis coloratâ, quàm alter adhuc habet, mentio, subrepticium habeatur.

§. III.

Quibus modis in specie vacent beneficia?

Primò vacant per mortem naturalem Beneficiati, *c. Susceptum 6. De rescriptis in 6.* mors enim omnia solvit, nisi ab habente potestatem omnino fuerit suppressum tale beneficium, vel accessorie unitum alteri, aut ad mensam Prælati, aut Capituli pertineat, aut situm sit beneficium tale, Canonicatus v. g. in Ecclesia non numerata; quibus in casibus, cum extinctum omninò sit tale beneficium, vel Rector illius principalis sit Prælatus, aut Capitulum, non censetur vacare per mortem deservientis illi, sicuti in Ecclesia tali non numerata, non vacat Canonicatus per mortem Canonici, cum penes Episcopum, vel Capitulum sit, utrum velint novum Canonicum assumere.

Secundò vacant beneficia ex dispositione juris; per professionem scilicet in religione approbata, tacitè, vel expressè factam; per matrimonium validè contractum; per beneficium incompatibilis pacificam, & utilem assecutionem; per non susceptum Sacerdotium, intra annum accepti beneficij Parochialis, requirentis eum ordinem, per non petitam

suo tempore confirmationem, aut consecrationem, aut susceptam ante tempus administrationem, & pluribus aliis modis, de quibus hinc inde in iure Canonico.

Tertiò vacant beneficia per depositionem, seu privationem ipso iure, vel per sententiam Iudicis factam, ob crimen commissum, cui à jure depositionis, seu privationis pœna decreta est; quorum crimina sunt homicidium, perjurium, sacrilegium, sodomia, adulterium, & quos inter modos ea etiam est delictum, ut si ipso iure privetur quis beneficio, tempore commissi criminis vacet illud, & privatus sit illis fructibus, quàm sententia declaratoria criminis privationem feratur, ita ut ad restitutionem fructuum, si quos post admissionem accepit, obligatus sit: Si vero per sententiam Iudicis beneficio privatus sit, non vacet illud à tempore commisionis criminis, sed à tempore latæ condemnationis privationis sententiæ, & fructus sententiam latam perceptos, non restituitur restituere; neque vacet per mortem illius, qui delictum admisit, cum ante vacaverit ex causa delicti, si ipso iure ob tale delictum beneficio privatus vacet autem per mortem illius, qui delictum admisit, si per sententiam beneficio privari debeat delinquens, sententia contra eum lata nondum facta.

Quartò, vacant beneficia per legitimum resignationem coram legitimo Superiore, uti patet ex *Tit. 9. Lib. 1. Decretalium*, & per translationem Prælati ad aliam Ecclesiam, uti patet ex *Tit. 7. eisdem Libri.*